





5/24  
M 26  
1762 - T. 25  
1/2.

B. C. D.  
**CVRAM PRIN-  
CIPIS**  
**DE  
RELIGIONE,**  
PRAESIDE  
**DN. CHRISTIANO**

Möhrensee/  
Philos. Pract. P. P. & Alumnorum  
Elector. Ephoro,

Domino Praeceptore suo, atque Patrono  
persancte venerando,  
brevibus exponet  
AVCTOR

**M. CHRISTIANVS Reuter / S.P.**

*Ad D. VIII. Aprilis A.S.R. et Iovc II.*  
In Auditorio Maiori.

---

VITEMBERGAE, TYPIS KREVSIGIANIS.




CARMEN PRIMUM  
CIPRIUS  
RELIGIONE  
DE CHRISTIANO





A. Q.  
I.



Um in omni honesta constante*que* civi-  
um coniunctione sacrorum ratio in pri-  
mis habenda sit, non tam Reipublicae, &  
commodatis praesentis vitae tuendae;  
quam pietatis adversus Deum, & Religio-  
nis conservanda*e*, causa: ita divinis huma-  
nisque legibus illorum praecipit*ur* custo-  
dia.

II. Illi vero publici huius munera partes sustinere recte cen-  
sentur, qui regionum principes sunt, & divino nutu atque auctor-  
itate populi regundi curam in se suscepunt. Constituti enim  
sunt, ut subditos aequis iustis*que* legibus gubernent, ac salutem co-  
rum tam futurae, quam huius*vita*e pro virili consulant, ut omnes  
tranquille, & pie, & honeste vivant. *Comp. Regnerus a Mansfeld*  
*contra Spinozam. c. 25. §. 16. p. 357. & 24. §. 23. 29. Rom. XIII. 1. seqq. 1.*  
*Tim. II. 2. Deut. XVII. 18. 19. coniunct. cum 2. Reg. XXIII. 1. 2. 3. seq.* Po-  
stulat id ipsum sanctissimi Numinis voluntas in scripturis pate-  
facta, constans sibi & immutabilis, quam omnibus temporibus pi-  
am vitam honestatem*que* in hominum coetu conservari vult. Ne-  
que dissentient optimi quivis, & clarissimi nominis Iuris consulti, ex  
qvorum numero *Fritschius* peccare Principem dicit; qui alium sibi  
regiminis finem, quam Dei gloriam, publice promovendam, & in-  
tegram populi salutem, proposuerit; aut qvemvis cultum promi-  
scuum in Republ. vigere permiserit, *Princ. Pecc. concl. I. & 3.* Cum  
qvo consentiens *Brunnemannus* absurdum esse, scribit, dicere, Ma-  
gistratum terrenis tantum rebus curandis esse praepositum, *Iur.*  
*Eccles. lib. I. c. 2. §. 35. seqq. comp. Ziegler. de Iur. Mai. lib. I. c. 14. §. 7.*  
Etenim id ex ipsis officiis huius rationibus patet, cui suprema lex est  
Numinis gloria, & populi salus, quam utramque Principes ut Pa-  
stores populi, Dei vicem in mundo gerentes, ut Patres Patriae,

A 3

ut

ut christiani homines, naturae lege, divinoqve iure, obligati sunt, fovere suo quidem genere, & amplificare, quantum possunt, cuiusqve rei rationem Deo reddere tenentur. Tum & societas sacra, & cultus exterior publicus, pars est Reip. quam Princeps totam, diversis licet modis, regere debet, et cognoscere religionem, qvalis sit, cultumqve divinum curare. Plures hanc in rem testes cito *Grotium de maiestate. Imp. circa Sacra. c. 1. Seckendorfium, Fürsten Staat P. II. c. 11. Hennigem de Potestat. circa Sacra. c. 2. Regnorum a Mansveld, loc. cit. alios.* Qvo constituto, qvaeri potest, utrum ii, penes qvos imperium & Respublica est, contra legem naturae non agant, qui eiusmodi cultum aut doctrinam, quam ipsi civibus ad salutem aeternam necessariam esse credunt, ( melius, ex veris ac incorruptis revelatione veritatis principiis sciunt,) non faciunt doceri, vel incorrupte administrari; vel contraria doceri & exhiberi civibus permittunt; ( si vere falsa illa sit, & contra verbum divinum, nec malevolorum calumniis ita proscindatur). Manifestum est, facere eos contra conscientiam, & velle, quantum in se est, aeternam civium perditionem. Nam si non vellent, rationem non video, qvare committerent, ut ea docerentur & fierent, propter qvae damnatos eos esse credunt. Ita *Hobbesius*, paucis immutatis, loquitur, atque hanc Imperantis curam exponit, qvo animo, qvare constantia, aliorum sit iudicium, *de Cive cap. XIII. §. 4. 5.*

III. Testantur de hac publica Religionis cura, Principi propria, omnium temporum, populorumqve, ethnicorum etiam, historiae; neque minus tituli Principum, qvos sustinent, & ipsorum sententiae idem confirmant, qvibus se ad id munus officii ratione iussuqve Dei teneri profitentur. Ut proximorum modo temporum historias attingam, nec quid de pietate *Constantini, Constantii, Valentiniandum, Honorii, Theodosiorum, Martiani, aliorum, prædicem, gravissima certe est oratio, qvae habetur in Recesu Imperii Augustano. A. 1525. constituto: Es sol eine iedvvede Obrigkeit, sie sey geistliches oder weltliches Standes, ein fleissiges Aufmercken, und ernstliches Einsehen haben, daß in ihren Furstenthumen, Landen, und Gebieten, das heilige Evangelium, und Gottes Wort, nach rechten vvaahren Verstande, ohne Ergerniß, und Erhaltung Gottes Lob, Fried und Einigkeit gepredigt werde. Eo qvoqve valent verba Caroli V. in Recesu A. 1530. §. 9. 10. Nachdem aber uns, als Römischen Kaiser, und Obersten Voige*



Von der Christenheit, auf auferlegten Kaiserlichen Amts, gebühr, wie wir uns auch schuldig erkennen, den heiligen Christlichen Glauben zu handhaben, zu beschützen, und zubeschützen. compar. §. 55. & Recess. Imp. Ann. 1541. §. 7. A. 1551. §. 6. Atque ita Socrates res Ecclesiae ab Imperatoribus dependisse dicit, ex quo hi facti sint Christiani Lib. 5. H. E. praef. Idem declarant leges in utroque Codice Theodosiano & Justinianeo, aliaeque plurimae ab aliis Principibus hac de causa latae. Constitutiones item de doctrina, cultu, disciplina, consiliis, ministris Ecclesiae, templis, ceremoniis & Scholis tuendis & conservandis. Non enim arbitriati sunt Maiores, nec hodieque opinantur Pii Principes, solis Judaeorum regibus quondam sacrorum curam impositam fuisse, Sciunt, Deum, postulare id generatim ab omnibus, qui principatum teneant, quippe quod omni tempore, eadem sanctitate, in confocatione hominum coli velit, cupiatque populi Christiani salutem aequem, ac Iudaici olim, publicis magistratus legibus promoveri. Quo comparres Constitutiones Ecclesiasticas ELL. Saxonum & Brandenburgicorum pulcerimas.

IV. Periculose ergo ac impiae, in perniciem coelestis veritatis, honestaeque vitae pestem, excogitatae eorum sunt opiniones, qui impatientes disciplinae, quam leges iubent, & pravae licentiae amatores, Principes vel minime, vel non magis est debere sollicitos, dicunt, de religione subditorum, quam homines inter se privatos; Ac si susceperint hanc curam, fieri id tantum debere commodatis publicae, & imperii causa. Magis pie sentiunt Brummannus, loc. cit. lib. 1. c. 2. §. 2. §. 13. c. 6. §. 15. Carpzovius de leg. Reg. c. 2. Scrl. 3. & Illustr. Stryckius ad Brum. l. 1. c. 6. m. 12. §. 14.

V. Constituta vero civili societate, & firmato in Rep. imperio, nemini potestas gubernandi publice per leges & poenas, regendi quae res humanas, sacras etiam, quoad certum modum, statumque externum, concedi potest, nisi Principi aut summae Maiestati. Haec una in Republica est, & supremam auctoritatem tenet, cuius, iusta & recta praecipiens, obediens & subiecti esse omnes per divinam legem tenentur. Sanctissimi enim Servatoris nostri regnum, in quo veritate & fide interna animi reguntur, exteriori in mundo auctoritate, eademque regia, non administratur. Hominum elatorum est opinio, qui Christocratiam in vita praescen-

senti fingunt, ubi Apostoli, & sacerdotes ex plebe communi, aut collegium, primas tenere, & multitudinem, vel ipsos etiam impreantes, ad obsequium adigere debeant. Cuiusmodi rerum confusio, & imperandi libido, initio non satis diligenter vel propter negligientiam, vel superstitionem, vel simplicitatem Principum reprehella, tantum crevit aliquando, ut Episcopi cum Principibus non de religione, sed imperio, dimicarint, & fulmina, caedenique Regibus denunciarint; & moliti sint, quod idem de sacerdotibus Aegyptiorum Strabo tradit. lib. 17. *Geograph.* Compara Petrum Sparem *Hist. Conc. Trid.* pag. 308. & *Onuprium Panvinium in Gregor. VII.* Evidem Ecclesiae Ministris aliquod disciplinae Ecclesiasticae exercitium competit, quod Ius ordinis vocatur, & docendo, monendo, arguendo, ipsos etiam Principes exhortando, leges poenasque divinas exponendo, remittendo vel retinendo peccata, examinando & ordinando personas Ecclesiasticas, potissimum perficitur, quodque ad externum etiam honestumque ordinem inter auditores sancendum iure divino valet. At vis externa abesse debet, & superbum regiumque imperium, ut primis rei Christianae seculis modestia & gravitate Episcoporum & Antistitum coetus facri regebantur. *Attor. XV. 29. 1. Cor. XI. 1. Thessal. V. 12. 1. Tim. V. 17. compar. M. Ant. de Dom. l. 5. de Rep. Eccl. & August. Confess. Artic. ult.* Illa enim necessitate non exspectabant potestatem & auctoritatem Magistratus, inferti nomini Christiano, ut sub directione illius suam exercent religionem. Citra cognitionem, imo contra voluntatem, Magistratus eligebant Doctores, & societatis directores, sed absque imperio Ecclesiastico, diverso a civili. Hoc deinde exortum, & procedente tempore stabilitum est, *seculo praeceps Hildebrandino*, quo, Principibus bellis civilibus impeditis, summa imis vertebantur.

VI. Quod ad religionem ipsam attinet, cuius curam Princeps suscepit, qualis nimis illa debeat esse, lex naturae, quod ad pracepta nonnulla, & cultum, aliquo modo ostendit; totam vero causam, omniaque salutis consequendae media, & fidei capita post lapsum, Deus ipse prescrivit in verbo revelato. Haec per certos Ecclesiae ministros proponi & curari vult, ubi rite vocati officium illud ne quidem loco & vice Magistratus exercent. *Hulsemannus Breviar. c. 20. suppl. §. 6. p. 703.* Illa igitur ipsius Dei instituta, in verbo & sacramentis administrandis, ut humana auctorita-

te non nituntur, sed aeterna sunt, mutare nemo audeat, quacunq; sit potentia, aut maiestate. Comparetur Schilterus Institut. Iurie Canon. lib. 1. tit. 1. §. 6. Item de libertate Ecclesiar. Germ. c. 1. §. 13. 14. Neque enim hac ratione Religio pars Reipublicae est, qvod singulare modo hominem cum Deo coniungit, neque dependet ab humana potestate, sed a solo auctore Christo, & ab ipso revelato Evangelio, unica salutis regula, in quam nullum ius ulli creature, ne ecclesi qvidem, est, velut pie loquitur Schilterus loc. cit. Qvoad externis tamen modis in exteriore civili societate res perficitur, & coetus hominum disciplina regendus est, Principis officium omnino erit, propagare in coetu illo veritatem, & de Religione conservanda leges ferre. Nam fundamentis revelatae & incorruptae veritatis positis, tanquam prudentissimus utriusque tabulari custos, & Dei vicem gerens, praecepta de cultu observando dare potest, atque mandatis etiam ad eadem subditos adstringere. Ita enim vi sua & auctoritate Imperans cum effectu obsequi, bona praecipit, & mala prohibet, subditosq; mandatis suis arctius obligat. Veram adeo religionem instituit, defendit, conservat; falsam vero proscripti, diruit idola, eorumq; templo, & removet offensiones, ne salutari doctrinae impedimenta ponantur. Certas etiam personas constituit, qvae doctrinam promulgant, locum denique, tempus, ritus decoros & liberos, describit, & legibus datis munit, ut sine confusione, & periculi metu, tuto omnia agi possint. Ab interna vero cura, & potestate spirituali, quam doctores vocant, abstinet, & sacerdotes ad id instructos iubet officium facere, vera docendo, monendo, administrando sacramenta, & sacra omnia perficiendo. Qvamdiu enim doctrina ecclesiis, & ad veram salutem pertinens, hominibus promulganda est, iisque ad Dei regnum vocationi; tamdiu auctoritate iusli qve divino eligendi sunt, qib; publicum hoc munus tradi possit, qui sint ὑπηρέται Χριστοῦ καὶ οἰκονόμοι μωυτηρίων Θεῶν, uti qvae nec Regibus, nec plebi, sed delectis thane pastinistris, Christus atque Apostoli commendantur. Qvamq; & sim in primis Ius naturae praecipere dicit Zenigravius, ut sacerdotium cum religione quacunq; ordinis causa, institutatur. Summa Iuri. div. 40.42.E- p.519. Ingenio vero indulget Hobbesius\*, perniciosus assentator, nec leui, de cive, semper sibi ipsi consentiens, cum eum, qui summum imperium c. 12. §. 1. c. obtinuit, summum esse dicit Prophetam Dei, summum Pastorem, 15.16.17.

nun-



nuncium a Deo , qui divini verbi interpres sit, & cognitionem boni  
malive unus habere existimari debeat; Cuique sacramenta admi-  
nistrandi , omnes quaestiones de Deo & religione, de aeterna sub-  
ditorum salute, de doctrina publica, de sacris literis determinan-  
di, facultas soli concessa sit , cuius adeo terminos in interpretanda  
scriptura diviniorae nemini licet transcendere. Hic qvicqvid re-  
iecerit, reiciendum, qvid probarit, probandum esse, putat. *Hobbesium*  
sequitur *Spinoza*, qui ore magis procaci, religionem nullam esse ante  
civitatem , & imperandi consuetudinem , docet , omnemque  
cultum accipere vim iuris demum a voluntate & lege Imperantis  
in Civitate, nec ullum pietatem recte colere, aut obedire Deo, nisi  
omnibus summae Potestatis decretis obtemperet. *Tractat. Theol.*  
*Polit. c. 19. p. 214, 215, 219.* Ita insanire homines impios compri-  
mus, qui omnem de Deo sensum abiecerunt, omnemque veritatem, &  
totum ea imperatum cultum, ad imperandi artes accommodan-  
dum esse, docent, ut ficto metu imperiti, & rerum minus intelligentes,  
qui in regno pietatis & obedientiae vivunt, eo alacrius manda-  
tis obsequantur. Comparetur *Lambertus a Velibusen.* *Dissert. de cul-*  
*tu naturali contra Spinosam. cap. 7.* Evidem Magistratus semper  
naturali jure obligatur, ad reddendam rationem Deo de divinatu-  
ralisque iuris inter suos publica determinatione: ita *Regnerus a Mans-*  
*veld, contr. Tr. Theol. Polit. cap. 24. §. II. p. 330;* sed tamen ideo  
nullo modo dici potest, summas potestates esse Iuris divini inter-  
pretes, aut Ecclesiarum plenos & integros monarchas, ut *Hobbesius*  
nugatur. *Leviathan. p. 271.* Neque iis competit, subditis suis adi-  
mere Ius omne & facultatem, privatim, pro que sua diligentia, in-  
qviriendi de divina revelatione, & veritate. Uniuscuiusque enim  
est scrutari scripturas, spiritus probare, iudicare de fidei capitibus  
controversis ex divino verbo, & anquirere de iusto & vero, ut suae  
quisque conscientiae non ex aliorum opinionibus consulat, ne aliena  
fide credendo nihil credit. Praecipit Deus obediendum, veritati,  
sed nusquam docetur, obediendum esse cuique, qui veritatem sese  
propterea dicit, cum id vel ex ambitione, vel falsis opinionibus, de  
religione confidit, aut commodi causa, fieri possit. Et si pro-  
prium denegandum est iudicium, quid erunt omnes hominum a-  
ctiones, quam bruti impetus, & instituti ad magistratus mandatum  
impulsus, abiecta omni in Deum, supremum Dominum, pietate? ligi-  
tur

tur si quid Magistratus iusserint, vel in religione ad salutem pertinente, vel in cultu etiam publico , & externis actionibus,qvod subditi per conscientiam recte informatam prohibentur accipere aut perficere,aut omitttere,causas, qvare id facere nequeant, exponere debent , libertatem submissis precibus ex petere , vel discedere ; qvodsi ne hoc quidem licuerit , Deo rem totam committere , & quidvis pati , aut vitam pro religione profundere, qvam a recta via,divinoqve verbo & mandatis ulla parte discedere tenentur. Evidem Houtynus, Leviathanicae Theologiae assertor, docet,Principem religionem publicam posse facere qvamlibet, atque hanc subditum seqvi posse , dummodo interiore animo aliam pietatem custodiat, sed castigatur ob levitatem hanc a Pufendorfo, de habitu Religionis. p. 201.

VII. Religio vel introducitur in Rempublicam , antiqua abrogata , vel introducta conservatur. Introducit Princeps religionem non variis & subdolis artibus, ad simplices fallendos, ut Excellentissimus Dominus Praeses, Patronus noster ac Praeceptor, omnem aetatem nobis colendus, in dissertatione de Cura Religionis submonet, sed per orthodoxos ministros, non eos, qui tectum virus tacite disseminant, veritatem, proponendam curat, ad eamqve audiendam subditos exhortatur, gravioribus etiam edictis,& poenarum comminationibus adducere potest , & errorum praesidia , si vere talia sint, evertere. Ad recipiendam autem veritatem, vel doctrinam, qvae demum cunque illa sit , & fide illam comprobandam , homines uti vel astu ; ita vi, aut armis, aut suppliciis illatis, adigere neqve debet , neqve potest. Ita enim siuia quisque religionis ius privatum , & naturale semper tuctur, sub ipso qvoqve humano imperio, qvo, nemini, nisi soli Deo, conscientiae Domino soli, immediate obligatur. Perfidias est , priuare cives alienae religionis exercitio , qui pacto considerato & necessario illud sunt conscienti, si conviciis nostris non proscidunt, nec blasphemii sunt in Deum, nec Riepublicae & societati noxia & turpia consulto docent. Immanitatis est , cives in fide dissidentes, nullis expostis causis , & monitis datis , vexare & fortunis spoliare , qui argumentis solidis exhortandi erant , &c, si non convincerentur, aut seqvi nollent, Deo permittendi, aut circumscribenda eorum publica libertas, vel dimittendi tandem,sine violatione honorum, si qvae mala ab iis in Rep. metuerentur. Quemadmodum enim Ecclesiae ministris, & Apostolis olim, populum ferro & igne ad fidem compellere non licet, ne-

que licuit, ita neque Magistrati in propaganda vel conservanda religione id permissum erit, maxime, quum vel ipse Deus, qui optime posset, his convertendi mediis non utatur. Ceterum si, concessis iis omnibus, contra mandata subditu pertinaces Dei honorem publice violant, cultum aliorum civium calumniantur, aut Remp. turbant, eandemque in discrimen adducunt, & aliis offensiones dant, nec moniti discedere nolunt, sed pro arbitrio suo, sine mandato divino publico & certo, doctrinam suam promulgant, Magistratus auctoritate sua utilit, qva immorigeros omnes & malitiosos compescit. Porro, qvod ad introducendam religionem, aut eam mutandam, pertinet, cultum, Ecclesiae tamen consilio, immutare valet Princeps, si iustae ac piae urgent causae, neqvē vel ipsa veritas hoc ipso labefactetur, aut offensio detur imbecillibus, aut paectorum denique, vel publicarum constitutionum ratio, illud prohibeat. Ita facultas mutandi Religiones & cultum publicum subditorum, qvam Principes Romani Imperii in regionibus suis, ad imperium pertinentibus, habent, diiudicanda est ex Recessibus Imperii; Passavensi imprimis Transactione, Anno 1552. Pace Religiosa Anno 1555. Instrumento Pacis Osnabrugensis, eiusdemque articulo. V. Anno 1648. constitutis. Unde addiscimus, qvod e. gr. subditu Principis cuiusdam Catholici, si Augustanae Confessioni addicti sunt, & huius religionis exercitium vel publicum, vel, privatum, Anno 1624. quacunqve anni parte tenuerunt, ab eo turbari nequeant; qvod idem vi cissim subditis Catholicis, seu Relig. Pontificiae, a Principe Augustanae Conf. conservandum est. Qyodsi vero illud utrinque non tenuerunt, vel tolerandi sunt sine inquisitione, vel, bonis tamen non violatis, dimittendi, comp. *Virriarius. Jur. publ. lib. 3. tit. 9. §. 27. 28.*

VIII. Introducing Religionem conservat Princeps, si, quantum sine everione Recip. fieri possit, & paectorum fides patiatur, religiones mixtas, variosque serpentes errores a Rep. arctet, licentiam cuivis quidvis docendi, loquendi & scribendi contra veritatem, & divinitus patefactam doctrinam, minime concedit. Evidem, qvod antea confirmavimus, subdito denegari nequit privatum de doctrina coram Deo statuendi iudicium, aut cultus omnis privatus: qvoad tamen Princeps, Naturae & scripturae doctrinis recte imbutus, nec hominum traditionibus corruptus, satis novit, quid aequum aut iniqum, quidque ad salutem consequendam necessarium sit; tum etiam ex pri vatis subditorum actionibus, & sacris domesticis, si finibus suis non

CON-



consistunt; contrariis denique de doctrina iudiciis, & sermonibus  
sparsis, universa societas & vera Religio detrimentum capere potest, aut  
mala saltē plurima metuenda sunt; Principis omnino erit, illam liber-  
tatem publice docendi, scribendi, loquendi, & propagandi studium, cir-  
cumscribere, & legibus compescere. Tum alii modis, apertis & lici-  
tis tamen, efficere, ut tales opinione ex subditorum animis tollantur, ne  
& tranqullitas turbetur, & veritas coelestis sensim opprimatur.*comp. Re-  
gnerus a Mansv. c. 25. §. 4.* Haec igitur mala ut arcantur, Princeps  
*Doctores veritatis amantes, & rerum gnosantes, in Academiis a se*  
constitutis, eligit, qui docendo, disputando & refutando, exempla Chri-  
sti & Apostolorum secuti, veritatem tuentur, & proborum animos ab  
impietate, & confusione, quae ab ignorantia veri maxime proficiuntur,  
verbis scriptisque avocant: Alios quoque erroris arguant, aut damnant,  
non ideo, quod opinionibus differant, quasi iudicium sibi in omnes sume-  
rent, cum Religio iudicio humano non innitat; sed quod aliter non e-  
docentur in sacris literis, ut ingenuo loquitur Pufendorfius *Jur. fec. div.*  
*p. II.* Quo pertinent etiam Ecclesiae *Symbols*, quae, uti veritatis divinae  
contra haereses collecta compendia sunt, incorrupta servat, atque ad ea-  
*lure iurando* illos iure quodam adstringit, qui publicis officiis praefici-  
endi sunt, ne quid adversus comprobatam stabilitamque fidem doce-  
ant, aut, pro sua quisque ingenio libidine & ambitione, nova moliantur.  
Huc revocandi aequae sunt *libri*, quibus praecipue veritas vel propaga-  
tur, vel facite, velut per disseminatum virus, corruptitur. Igitur  
Princeps probos curat, noxiros vero, blasphemos, & qui a Dei sensu ve-  
raqve religione, homines abducunt, prohibet, ne in omnium, & im-  
prudentum, manus effluant. Maximam denique *Scholarum* curam ag-  
it, quibus praeficit viros prudentes ac eruditos apostolique, qui utilibus,  
Rei que publicae necessariis & honestis disciplinis iuventutem imbuunt.  
*Inde* beneficia largitur studiorum causa, & cetera Ecclesiae bona, in su-  
um quodque usum, conservat & dispensat.

IX. Idonei, id est docti & pii, satisque ad docendum instructi,  
Ecclesiae ministri ne desint unquam, proficit, & vocari subinde ali-  
os a tota Ecclesia, & probari curat, ut de doctrinæ sinceritate, eorum  
que vitæ rationibus constet. Nominatos tandem, probatos, & voca-  
tos, confirmat auctoritate sua, & eos per ministros ritu solemni & Chris-  
tiano instituit. Quo vero malitia ac vitæ improbitas cum in coetu  
reliquo, & auditoribus, tum praecipue in ministris reprimatur, Iudicia  
Ec-

Ecclesiastica, Consistoria, visitationes, examina, instituit, ut, quanta diligenter suum quisque officium peragat, cognoscatur. Ministros malos & desides admonendos curat; pertinaces & malitiosos coercet & removet; supplicium vero ultimum in haereticos non decernit, nisi qui seditionis sunt, & blasphemii, & ad meliorem frugem redire moniti no[n]funt. Haeresis enim res spiritualis est, & omne respuit imperium, nec aliter obtundi potest, nisi verbo divino.


X. Quid si graves controversiae in Rep. de doctrina oriuntur, ipse Princeps quaerit, iudicat & constituit de re, veritatem in SS. Literis, prudentius & piorum Theologorum consilia secutus. *Henniges de Potestat. cc. Sacra cap. 8. 10.* & si e[st] refutari, neque lites alia ratione tolli possunt, doctores & prudentes alios convocat; Colloquia, Synodos, & Concilia indicit; Convocatos edictis regit & defendit, tantumque negotium auctoritate sua moderatur, ut veritatis, non contentionum studia fusciantur; & quod rite constitutum fuit, ipseque ex praescripto legis atque doctrinae divinae ratum habet, publicis mandatis definit, confirmat, proponit, ac defendit, ut vim publicae legis accipiat. vid. I. B. Carpzovii *Dissert. de jure decidendi controv. Theol. Part. Post. thes. 8. §. 6.*

XI. Tuetur denique Princeps Religionem contravim externam, beneficio iuris armorum, maiestati concessio. Gladium enim non frustra gerit, sed ut divinam gloriam, tranquillitatem Reip. & suam subditorumque salutem & fortunas, quacunque vi externa, aut quibusvis modis, violatas, defendat ac tueatur. Quia de causa plura comparentur Consilia Lutheri, Melanchthonis, aliorumque apud *Horsiederuns* Part. II. c. 30. von Rechtmässigkeit des Deutschen Krieges. Coniunge cum his *Seckendorffian* Hist. Lutheranismi lib. III. p. 252. Carpzovius de lege Regia, c. 4. Sect. 6.

FINIS.







Wittenberg, Diss., 1702  
(A-R)



St.

1018





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimeters

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches

B. C. D. 1702 - 25  
M  
AM PRIN-  
IPIS  
DE  
IGIONE,  
RAESIDE  
RISTIANO  
Brensee/  
P. P. & Alumnorum  
tor. Ephoro,  
tore suo, atque Patrono  
te venerando,  
eibus exponet  
AVCTOR  
IANVS Reuter / S.P.  
1. Aprilis A.S.R. c18ccII.  
ditorio Maiori.

, TYPIS KREVSIGIANIS.